

054

052

058

Aegypti. Et quamvis hae pyramides sint nunc longe a Babylonia
nova, olim tamen erat civitas tam magna, quod ab intra erant,
sicut demonstrant ruinae per circuitum illius loci. In hoc loco
fuit coemeterium antiquorum regum Aegypti, super quorum se-
pulchra erigebant aedificia quadrangularia de quadris, in pede
lata, et in altum ducta per continuum decrementum latitudinis,
ita, quod culmen remanet acutum, sicut tecta turrium. Sunt
autem duae pyramides valde eminentes, mirae magnitudinis et la-
titudinis, sicut montes, ita, quod a longe visae apparent tress
esse. In his invenimus diversas litteras et scripturas nobis ignotas,
in uno tamen latere hos subscriptos invenimus versus, insculptos
latinis litteris et scriptura:

Vidi Pyramides sine te, dulcissime frater R.
Et tibi, quod potui, lacrimas hic moesta profudi . I.
Et nostri memoriam luctus hanc sculpo querelam . M.
Sit nomen decimi centanni pyramis alta A.
Pontificis comitisque tuis tyranne triumphis S.
Lustra sex inter censoris consulis esse S.

153

553

Horum versuum expositionem et intellectum nescio, si habeam
audire ab exercitato versificatore, cupio sententiam. Tantum autem
ego ex eis intelligo, quod falsa est rudis vulgi opinio, quae dicit,
has pyramides esse granaria Josephi, ab eo ad hoc constructa, ut
ibi frumentum poneret reservandum ad VII annos (90 a) steri-
litatis, sicut habetur Genesis 41. Denique, si etiam versus illi
continerent, ibi fuisse reconditum frumentum, et pyramides esse
horrea regionis, delusoriam Scripturam arbitrarer, cum nullus sit
locus in pyramidibus, quae non ab intus cavatae sunt, sed una-
quaeque est integra moles, maximis quadris undique compacta per
totum corpus molis, demto, quod in compositione quadrorum est
derelictum ostiolum, per quod est introitus in corpus molis, sed
ab intus non est majus spatium, nisi quod homo potest ibi stando
contineri, nec est aliquo modo ibi spatium annonae et frumenti
conservandi. Quare autem peregrini nominent in suis libellis has
pyramides horrea Joseph, aestimo hanc esse rationem, quia pyra-
mides illas a longe conspiciunt, et non ducuntur ad eas, quia
sunt supra Babyloniam et trans Nilum; ideo eas moles cernentes
putant eas esse ab intus spatiose, quod non est. Nos autem de
speciali amicitia Mamalucorum de Hungaria fuimus trans Nilum

Ende

Anfang